



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis  
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Approbationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**



## APPROBATIONES.

**A** Billustrissimo, ac Reverendiss. D. D. Aloysio Cardinali Capponio, S. Ravennatis Ecclesiae Archiepiscopo, Ego D. Iacobus Agrestis, Clericus Regularis Theatinus à Rev. admod. P. Iosepho Speranza Congreg. Oratorij Viro, cognominis sui Spei egregiè respondente, *Selectas* has expositas iussus recognoscere *Scripturas*; quemadmodum sedulae favorum opifices apes, succum aëris caelestemque rorem ex omni delecto flore depallat, certas illas, (ut ita dicam) urbes moliuntur, easque melle constipant, non sibi solum, sed etiam nobis: ipsum ita Scriptorem è *Scripturis* his verè *Selectis*, tanquam è selectis floribus, suavitate delibata, & sibi, & nobis sine ullo erroris fucos favos condidisse suavissimos; atque dignos, qui sub praelo exprimantur, typisque imprimantur, ut eorum omnes mellis dulcedinem degustent; cognosco, dijudico, atque plaudo.

*Imprimatur.*

I. C. DE ROGERIIS, Vic. Gen.

**E**GO Fr. Laurentius Scalabonius, Ravennas, Ord. Erem. S. Augustini, Consultor Sancti Officij, de mandato Rev. adm. Patris Vicarij Sanctae Inquisitionis Ravennae, hoc Rev. admod. Patris Iosephae Speranzae, Fanensis, Congregationis Oratorij, Viri virtute, doctrina, nomine, familiaque clarissimi Opus, moralibus Punctis 163. distinctum, cui quidem inscriptio est, *Selectae Scripturae*, &c. alacri, atque inoffenso pede percurri, nihilque divinae Scripturae, Sacris Canonibus, Catholicae Ecclesiae, Sanctionibus pontificiis, bonisque moribus adversans in eo reperi, sed cunctis divini Verbi Professoribus valde accommodatum, & utile cognovi. Quinimmo, sicut de Minervâ egregij fabulantur viri, natam, videlicet, armatam, atque mox cepisse gladium vibrare, hastamque jactare, ita suo validiori modo Volumen hoc in lucem, tanquam partus optimus, prodiens, divinae Scripturae gladio, Sanctorum Patrum testimonio, ac diversarum versionum multiplicitate, velut hastâ, mox hostes quosq; adversus praevalerit. Idcirco dignissimum, ut typis demandetur, quam citiusque imprimatur, iudico, fateor, collaudo.

§§§§ §

Ego



Ego Fr. DOMINICUS DONATELLI, Venetus, Sac. Theol. Lector,  
& Provic. S. Officij Rav. innixus suprascriptæ  
approbat, approbo, imprimatur.

**R**eligiose Fili, salutem: Cùm nobis humiliter exposueris, adm. Rev. P. Iosephum Speranzam, Congregationis Oratorii in æde S. Petri Fanensis Rectorem, fratrem tuum, non minùs eruditè, quàm piè librum composuisse, hoc titulo prænotatum. *Scriptura selecta ad Orationem*, &c. quem tu eà, quâ decet, fraternâ charitate, ac religiosâ sollicitudine typis mandare cupis, nosque propterea instanter rogaveris, ut huiusmodi licentiâ tibi concedere dignaremur: idcirco religioſæ huic tuæ petitioni, eâ, quâ expedit, benignitate annuere volentes, tuam in hoc pietatè, ac sollicitudinè commendantes, tibi Fratri Nicolao Speranzæ, Sacri Ordinis Prædicatorû, nostræ Provinciæ utriusque Lombardiæ, Iuveni Diacono, nostri auctoritate Officii facultatem, id exequendi, servatis tamen servandis, concedimus, ac impartimur. In quorum fidem has litteras nostro sigillo munitas, manu propria subscripsimus. Pisauri, die 20. Iunii, 1625.

Ita est, Fr. JOAN. MARIA DE BONONIA, Mr. Provinc.  
utriusque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum.

---

#### FACULTAS PROVINCIALIS.

**R**eligiose Fili, salutem. Cùm de Antecessoris nostri licentiâ librum, cui titulus, *Scriptura selecta*, &c. à P. Iosepho Speranza Congregationis Oratorii Fanensis Rectore Fratre tuo elucubratum, ad communem studiorum utilitatem evulgaveris, & nunc eundem ab eodem locupletatum, auctumque denuò evulgare desideres, nosque propterea, ut huiusmodi tibi facultatem concederemus, instanter rogaveris, fraterno tuo amor, pietati, ac sollicitudini annuentes, tibi Fratri Nicolao Speranzæ, Sacri Ordinis Prædicatorum, nostræque Provinciæ utriusque Lombardiæ Sacerdoti, nostri auctoritate Officii facultatem id exequendi, servatis tamen servandis, concedimus, ac impartimur. In quorum fidem has litteras propriâ manu subscripsimus, Dat. Genuæ, die 10. Novembris, 1628.

Ita est, Fr. RAIM. MONTECUCULUS,

Magister, & Provincialis Provinciæ utriusque  
Lombardiæ Ordinis Prædicat.  
manu PP.

APPRO-